



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt IV. Multa Suauis errata. Bauariae Orator exceptus. Illius, & Venetorum mutuae denuntiationes. Lis cum Heluetiis & Florentino. Postulata Bauari & Caesarianorum in Concilio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

superiorem accusare non poterat, quin totum corpus accusaret. 1562.  
 Sed multò ampliùs quàm Præsules, in eo famuli peccabant, genus  
 hominum ad contendendum procliue, & ad heriles argumonia  
 expromendas immoderatum, cum eâ ratione, animi ac linguæ mali-  
 gnitas quasi virtutem fidelis grati què animi sese ostentat. Inter ce-  
 tera epistola quædam auctoris anonymi prodit<sup>h</sup>, quæ se scriptam h Est in Ap-  
 pendice Mu-  
 fotti.  
 Tridenti Romam ad amicum simulabat. Hæc, quasi illinc acce-  
 pta, ad Lanfacum missa est ab Oratore Gallico, Venetiis degente:  
 cumque hoc pacto fuisset vulgata, Lanfacus rem pluribus excusa-  
 uit, & per se apud Legatos, & Romæ per Oratorem Gallia apud  
 Pontificem, ne crederetur Concilij nomen à Regis ministris fœ-  
 dari. In ea epistola, ut mos est satyricis subdolis, qui se larvâ pro-  
 casside communiunt, adeoque se audaciâ obarmant, multæ in Con-  
 ciliium calumniæ continebantur; ac demum deducebatur, Cum  
 per illud vnitas Ecclesiæ sperari non posset, opportuniùs fore ipsum  
 suspendi. Atque ex huiusmodi scriptis Suavis cæmenta magna ex  
 parte desumpsit ad suam historiam fabricandam. Grande profectò  
 documentum, quàm necessaria sit in Senatoribus tum linguæ li-  
 bertas ante sanctiones, tum eiusdem postea subiectio communi  
 iudicio; quod difficulter effici potest, quin erga Senatum obedi-  
 entia exerceatur non voluntatis modò, sed etiam intelligentiæ: ob-  
 sequium sanè non extra vires humanas, si obscuritas & incerta ra-  
 tio humanorum consiliorum spectetur, quæ amplam nobis liberta-  
 tem relinquit ad opinandum quidquid libuerit.

## C A P V T IV.

*Multa Suavis errata. Bauaria Orator exceptus. Illius, & Ve-  
 netorum mutua denuntiationes. Lis cum Heluetis & Floren-  
 tino. Postulata Bauari & Casarianorum in Concilio.*

**T**Empus nos admonet, ut aliquantulum insistamus in notan-  
 dis simul variis Suavis erratis, hæc facta narrantis. Ac pri-  
 mò quidem tumores illi populares, per quos inaudierat Vi-  
 ccomes, mutatum in Aula Pontificis ordinem in mittendis litteris,  
 quòd non ampliùs ad Mantuanum, sed eius loco ad Simonettam  
 mitterentur, quodque à cœtu Cardinalium, ad expendendas Tri-  
 dentinas res selectorum, amotus fuisset Gonzaga Mantuani fratris  
 filius, manserunt in quibusdam monumentis, dubitationis in mo-  
 dum, effeceruntque, ut Suavis, re minimè introspectâ, vtrumque  
 animosè affirmaret, & per consuetum temerariis narratoribus in-  
 fortunium.

1562. fortunium in utroque laboretur. Sciendum igitur est, significasse Borromæum in responso ad Vicecomitem, nimis verum esse id quod ad aures peruenerat, de abeundi venia petita à Mantuano; sed eam à Pontifice, rebus ritè perpensis, denegatam fuisse per certum tabellarium, & per eiusmodi rationem, quâ sperabat illum quieto alacrique animo permanfurum. Veras quidem non esse duas rationes, à Vicecomite ex vulgari rumore acceptas; sed ambiguitatem apud vulgus exortam fuisse de priore, quia dies aliqui effluxerant, quibus nihil occurrerat Româ scribendum ad Legatos communibus litteris, quæ ad ipsum Principem mittebantur, dum interim aliquid occurrerat per peculiare litteras scribendum ad Simonettam, quæ rectâ ad ipsum missæ fuerant, ut cum omnibus fieri solet: & quod ad alteram rationem spectabat, aliquid temporis elapsum fuisse, nullo tunc habito cœtu de rebus Concilij, sed de Inquisitione, cui Gonzaga non intererat. Vnde homines, rerum quæ recens contigerant, satisque dimanarant in vulgus, minimè ignari, auidique speculandi, quin & procreandi causas latentes effectorum patentium, existimauerant Gonzagam à Consilijs de Synodo exclusum fuisse. Sic itaque res se habuerat: atque idcirco Mantuanus, cui compertum erat, nullam communem cunctis Legatis epistolam Româ venisse, nisi missam ad se, certique nuntij allati fuerant, nullum fuisse cœtum coactum supra rebus Concilij, quod fratris filius accersitus non fuerat, numquam hæc falsa suis querelis admisit. Equidem comperio, ab hac eadem missione peculiari litterarum ad Simonettam, absque societate aliarum communium quæ Mantuano mitterentur, inflatum huic fuisse aliquem anxietatis ac suspicionis aculeum, ne res soli Simonettæ committerentur, & quod ea de causa defuisset argumentum quod ad omnes simul scriberetur. Quamobrem Vicecomes iterum Borromæo<sup>a</sup> significauit, satius fore ne id in posterum fieret, si primi Legati pacificatio sibi cordi esset.

■ Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 13. Iulij 1562.

Pergit Suauis, *Non minus à Pontifice iratum animum indicatum<sup>2</sup> fuisse in Camillum Olinum, Mantuano à secretis, quippe qui non perinde se gesserat atque sibi sponderat, cum Romam missus fuit. Et subdit; Quod misello illi caro constitit. Etenim tametsi Pontifex cum Cardinali reconciliatus fuisset, tamen post eius mortem Mantuam cum heri cadauere regressus, vario criminationum obtentu ab Inquisitionis tribunali coniectus in carcerem est, diuq; diuexatus. Hunc ego post insectationum arumnas expertus sum virum egregiâ virtute, & eiusmodi infortunia haud merentem.* Mirum sanè est, quod hic homo historiam extruat non ex nar-

ratio-

rationibus à se compertis, sed ex argumentationibus à se deductis. 1562.

Quare ubi semel hallucinatur ex notitia perperam habita, enarrat postea quasi veram historiam ea omnia euenta, quæ ab ea re, ubi verè contigisset, probabili coniectatione extitira fuissent. Hac de re in Operis Apparatu differui: nec de Oliui ærumnis, quas Inquisitionis causâ passus est, quidquam mihi dicendum superest, ad eum vel inculpandum vel excusandum, præter ea quæ ibi narraui. Certum tamen est, non Oliuum, sed Pendasium à Mantuano Romam fuisse missum ad Pontificem, quemadmodum supra notauimus; nec illum pariter à Concilio discessisse hero demortuo, sed ibidem permanisse in iisdem ministeriis & honore fiducia, & vtilitate stipendij à Præsidiibus affectus vsque ad operis exitum, quod non semel patebit. Præsertim verò admirationi mihi est, Suauem ignorasse, Pendasium, non Oliuum fuisse à Legatis missum, cum hoc perlegatur non inquam in quamplurimis tum Pontificis tum Borromæi<sup>b</sup> litteris scriptis, & in commune ad Legatos, & peculiariter ad Mantuanum (earum quippe notitia singularior est) sed in cunctis ferè monumentis, quæ de hoc argumento supersunt: adeò vt præter varias epistolas à me allatas, ab Legatis Romam missas, quæ mentionem hac de re faciunt, & ipsorum nomine fuerunt ab Oliuo Tridenti scriptæ; præter narrationem Philippi Musotti, qui Seripando à secretis erat; & præter epistolam à me antea productam Iadrensis Archiepiscopi ad Cornelium Cardinalem, id contineatur in prima Simonettæ epistola ad Borromæum, à me superiori libro recitata<sup>c</sup>, nec minùs in altera Episcopi Mutinensis ad Mo-

<sup>b</sup> Scriptis ad Legatos, 22. Aprilis, quando is peruenit, vsque ad 3. Maij, quando discessit.

<sup>c</sup> Lib. 16. c. 9.

<sup>d</sup> 11. Maij 1562.

3 Hæc admiratio alteram admirationem mihi adimit, quòd nimium ignota fuisset Suauis missio & opera Arriuabeni. Huius enim notitia, quippe negotij cunctis Legatis minimè communis, latuit magis clausa & constricta in mutuis litteris peculiaribus inter Mantuanum ex vna parte, & inter Pontificem, Borromæum & Gonzagam ex altera. Nec equidem indagare omisi, quænam in mentem venerit Suauis, fuisse Romam missum Oliuum, non Pendasium, adeoque super hoc inane fundamentum inanem verè arcem extruxerit; & rem planè attigisse arbitror. In quadam epistola scripta per eos dies, quibus Pendasius Romam peruenit<sup>e</sup>, ab Insulano, Oratore Gallico apud Pontificem, Rex certior factus est, adesse ibi Mantuani Secretarium, missum ob ea quæ de nouo contigerant super mansionis negotio. Atque hunc *Secretary* titulum vsurpauit Orator per eam generalem & amplam dicendi formulam, quæ con-

<sup>e</sup> Scripta 16. Maij, ex libro Gallico, 1562.

Pars III.

C

ditio,

1562. ditio, quæ nihil interest, narratur; quare ignorans ipse, minime-  
 que laborans exquisitiùs pernoscere, quisnam nominatim fuisset  
 missus, nomen adhibuit *Secretary*, tamquam commune cuiuslibet mi-  
 nistro, cuius calamo secreta committantur. Hæc igitur epistola, quæ  
 postea cum aliis per typos vulgata est, effecit, ut à Suavi crederetur,  
 legatum fuisse Romam ad eam rem transigendam Ollivum, cum  
 sciret illum propriè Mantuano à secretis esse; & oblitus, exerce-  
 ri à se in rerum narratione simplex munus testis, voluit logici  
 partes agere, & supra illas fundare partes fabulatoris, adeoque  
 merito sanè infortunio idem ipse lectorum vera callentium fabu-  
 la euadit.

Porro aliis suis commentis narrat, conquestum fuisse Pontificem 4  
 de pluribus, non ex mentis credulitate, linguave impotentia, sed  
 quia hoc puncto quasi eos inducebat, alios pudore, alios metu, alios  
 urbanitate, ut apud ipsum se illi purgarent: quorum excusationi-  
 bus à se facilè acceptis, eisdem sibi ipse addictos habebat. Id ubi  
 verum fuisset, haud multum forsitan quod improbarent deprehen-  
 derent homines sapientes, qui satis ab experientia docentur, non  
 semper ad optima quæque per apertas vias posse perueniri. Sed in  
 rebus à Pio IV. gestis oppositum planè comperio, quando præser-  
 tim Mantuanus Arriuabeno respondens, nihil aliud acriùs queri-  
 tur, quàm quòd Pontifex etiam post iteratas ipsius purgationes, &  
 post denegatam abeundi facultatem, veterem animi persuasionem  
 professus fuerit de credita ipsius culpa; eandemque rationem à  
 Pontifice erga alios retentam conspicio.

Demum affirmat, à Legatis, cum à Cæsaris Oratoribus libellus 5  
 ipis ostensus est, à Ferdinando missus ut Synodo exhiberetur, ex-  
 cusationem fuisse præsentam, quòd cum agendum tunc esset, iis-  
 dem Cæsarianis petentibus, de concessione Calicis, spatium non  
 suppeteret ad expendenda simul tot & tam grauium rerum capita  
 quæ proponebantur; se tamen curaturos, ut paulatim perpende-  
 rentur: Oratores verò animaduertisse, id ex arte fieri, ne scriptum  
 illud Synodo vulgaretur, sed res protraheretur in dies; tunc tamen  
 tacuisse: sed Pragensem Archiepiscopum necessarium existimas-  
 se, per dispositos equos ad Aulam Cæsaris se conferre, quòd eum  
 edoceret tum de eo, tum de reliquis Concilij negotiis<sup>6</sup>. Verùm ex  
 aduerso iam vidimus, Legatos apertè exposuisse Oratoribus, quàm  
 esset rationi dissentaneum, libellum exhiberi Concilio; & Pragen-  
 sem, ad id commotum ab adductis rationibus, eà re sponte super-  
 sedisse: cumque præstò esset ad Aulam pergere ad Regem Bohe-  
 miæ

*f*In litteris  
 allatis Lega-  
 torum ad  
 Borromæum,  
 10. Iunii  
 1562.

miæ pro suo munere coronandum, in se recepisse, ab eo proposito  
Cæsarem dehortari; & opere promissa complevit. 1562.

6 Sed à confutatione ad historiam. In dissensione inter Venetos &  
Bauaricos Pontifex ad operam Ferdinandi<sup>8</sup> confugit, qui moneret  
Albertum Ducem, generum suum, Rempublicam Venetam reuera  
Regem esse, & eâ possessione frui vt ipsius Oratores obtinerent locum  
Regiis Oratoribus proximum. Verum noluit Cæsar huiusmodi liti-  
gio, quod delicatissimum Principum sensum vellicat<sup>h</sup>, manum ad-  
mouere, nisi per officia vniuersalia, & potiùs in modum scribentis  
genero quæ Præsides proposuerant, quàm suo nomine rem agentis:  
eum tamen est cohortatus, ne quid Synodum obturbaret; nec id  
sine fructu. Iussus denique fuit Ducis Orator, vt<sup>i</sup> Venetis cederet;  
sed simul denuntiaret, id fieri ne Synodus turbaretur, & absque sui  
Principis detrimento. Itaque exceptus est in cœtu 27. Iunij, & in  
ea protestatus est, multis argumentis in medium allatis, ob quæ  
iptius Princeps Venetæ Reipublicæ antehabendus esset; cuiusmodi  
erant, quòd haberet in sua familia dignitatem Septemuiralem,  
quodque Cæsarea quoque in ea fuerit. Huic denuntiationi alteram  
ibi opposuit Nicolaus de Ponte<sup>k</sup>, primus Orator Venetus, dicens,  
Superiorem illum locum esse decus perpetuò debitum Reipublicæ  
suæ, non autem liberalem ad tempus indulgentiam. Vtraque de-  
nuntiatio relata est in Acta: atque eò deuenit æmulatio, vt Bauari-  
cus exemplum orationis suæ negauerit, quia negauerat antea Vene-  
tus, vt dictum est. Verum per eam Oratoris Bauarici remissionem  
dissidia ex ipsius parte mutata sunt potiùs quàm sedata; siquidem  
in mandatis acceperat, vt inde decederet, vbi Oratori Heluetio &  
Florentino non præcederet. Quare Legati ægrè impetrarunt ab  
Heluetio (cui tradita mandata suprâ retulimus) vt tantisper cœti-  
bus non adesset, dum suos primores edoceret ea de re, & noua man-  
data reciperet; & Pontificem rogarunt, vt se interponeret Cosmo  
Duci, cuius Orator absente Heluetio solitus erat interesse.

Magis tamen eos angebat certamen imminens inter Oratores  
Gallum & Hispanum. Etenim præuidebant, omnino reiectum iri  
temperamentum à Borromæo propositum, vt scilicet Hispanus ad  
functiones publicas non accederet, sicuti Romæ consueuerat, cum  
Piscarius animum suum explicasset, ab eo cessionis genere auersif-  
simum; tametsi alioqui à suo Rege<sup>l</sup> mandata satis sedata haberet,  
hoc est, vt æmulationes declinaret, vbi per dignitatem liceret;  
nec pugnaret vt præesset, sed se defenderet ne subesset. Mandata  
igitur à Pontifice postulauere Legati, quid agendum in tam arduo  
nodo.

g Litteræ  
Borromæi  
ad Legatos.  
27. Maij  
1562.

h Litteræ  
Cæsaris ad  
Oratores,  
29. Iunij  
1562.

i Litteræ Le-  
gatorum ad  
Borromæum,  
18. & 28 Iu-  
nij 1562.

k Diarium.

l Litteræ  
Mutinensium  
Episcopi ad  
Moronum,  
23. Maij  
1562.

1562.  
 m Litteræ  
 Borromæi  
 ad Mantua-  
 num, 11. A-  
 prilis, &  
 23. Maij, &  
 ad Lega-  
 tos, 23. &  
 27. Maij,  
 & 8. Iunij  
 1562.

nodo. Ea verò fuere<sup>m</sup>, vt primo loco ipsi studerent aliquid ad rem componendam excogitare: vbi satis id non esset, & Oratores concorditer vellent Pontificis definitionem, æquitati se non defuturum; sed hætenus Hispanos id euitasse, cum videretur possessio Gallis fauere: quod si partibus ita placeret, promptum esse Pontificem ad sententiam Synodo committendam. Si nullus ex his modis acciperetur, aliud fieri non posse, nisi vt imitarentur morem tunc Romæ obseruatum, qui erat, vt Insulanus, Orator Gallicus, solemnnes functiones adiret, & Vargas Orator Hispanicus domineret: optimum à se consilium putari, si aut Philippus Rex ibi designaret Oratorem Ecclesiasticum, qui collocatus in ordine à laicis diuerso, liti argumentum subtraheret; aut Comes Lunensis, ab eodem Rege Catholico destinatus Orator ad Concilium, accederet simul Orator Cæsaris, apud quem id temporis degebat. Sed Galli his omnibus temperamenti aditum occluserunt, sicut palàm fiet.

n Litteræ O-  
 ratoris ad  
 Cosmum  
 Ducem,  
 29. Iunij  
 1562.

Interim Orator Bauariæ, post consueta subiectionis & obsequij 8 officia, tria pro Ducis ditionibus postulauit, Eucharistiæ sub vtraque specie sumptionem, Cleri emendationem, & Sacerdotum coniugium. Responsum humaniter ad primam partem, quæ ad urbanitatis officia pertinebat; & generatim ad secundam, quæ ad petitionem spectabat, nimirum, effectum iri quod in Dei gloriam, & emolumentum Ecclesiæ redundare censeretur. Cæsariani ex memorato libello vnicum articulum proposuere, quo Calicis concessio petebatur<sup>n</sup>, non pro Bohemia solùm, sed etiam pro Hungaria, aliisque hereditariis Cæsaris ditionibus; rationesque publicæ utilitatis adducebantur, ad id impetrandum accommodatæ. Videbantur hi omnes in animum sibi induxisse, Synodum fuisse coactam non ad damnandos hæreticos, sed ad ipsis gratificandos, eorumque conuersionem obtineri posse exsaturatis ipsorum contumacibus votis, quæ potius deprimi par erat: nulla quippe vexatio reliquos subditos ad perduellionem tantum impellit, quantum licentia prauis appetitionibus indulta.